DE AURIPIGMENTI ET SANDARACHAE INDOLE ATQUE USU MEDICO.

INAUGURALE SPECIMEN

QUOD

GRATIOSI MEDICI ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

DOCTORIS GRADUM

SUMMOSQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES CONCUPIENS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANN. CAROL. FRIDER. PREY

POMERANUS.

DIE XXV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXIX.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

V I R O

CLARISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

THEOD. FRID. BALTZ

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, MEDICO
REGIO, LEGIONI PRAEFECTO,

A M I C O

DE ME STUDIISQUE MEIS MERITO,

NEC NON

V I R O

MAXIME VENERANDO

N E T T E L B E C K

COLBERGAE CIVI

S A C R U M

P r o o e m i u m.

Hanc dissertationem edenti mihi non alienum videtur, eas rationes, quae me ad operam materiae levi, ut primo adspectu crederes, impendendam commoverint, brevi exponere. Consumsi enim praeterlapsae aestatis particulam in experimentis quae mihi gas hydrarsenicale, simulac cadaveribus diutius insideret arsenicum, genitum probarent. Cui rei quamquam intento animo incumberem, atque viro chemico quodam adjutore in gasis naturam accurate inquirerem, tamen effectus operae nullomodo respondit. Interim sollertius toxicologiae studium ad paullo accuratiorem hu-

jus materiae scriptorum cognitionem me adduxit, ita ut operae pretium videretur, errores quosdam a scriptoribus propagatos, quantum in me esset, evellere, atque omnia, quae ex huc pertinentibus momenti viderentur, in unum colligere. Jam recipe, benevole lector, has primitias, atque viribus indulge, quotiescunque consilio, a me suscepto, non suppetant.

DE AURIPIGMENTI ET SANDARACHAE INDOLE ATQUE USU MEDICO.

Sectio prima.

Quo nomine auripigmentum et Sandaracha veniunt.

§. 1.

Auripigmento a Graecis nomen *ἀρρενικὸν, ἀρσενικὸν* [1]), cujus adpellationis Theophrastus Eresius auctor fuisse fertur [2]), a Romanis arsenicum est impositum. Celsus, uno tantummodo loco, hoc verbo utitur [3]), aliis semper auripigmento; serioribus vero Plinio [4]) et Dioscoridi [5]) auripigmentum et arsenicum unum idemque valent. Fridericus Hoffmannus, Gmelinus, aliique seculi praeterlapsi medici, talem significationis fecerunt distinctionem, ut nonnisi auripigmentum artis via paratum arsenicum, fossile vero auripigmentum nuncupaverint; recentiores hoc nominum discrimen nullo modo stabiliunt, sed arsenici sulphurati, sulphuris arsenici

flavi, arsenici citrini, auripigmenti nomina indunt. Quod ad me, *auripigmenti nativi* et *factitii nomina* esse pro necessariis acceperim, cujus rei infra rationem addam.

[1]) masculum et forte quiddam. [2]) *Thomson's System der Chemie übersetzt von Fr. Wolff B.* 1. *S.* 179. *Klaproth in Hecker's Annalen der gesammten Medicin B.* 1. *S.* 157. [3]) Celsus de Medicina, editio Krausii. Lipsiae 1766. L. V. cap. 5. [4]) Caji Plinii secundi Historia naturalis, editio bipontina. Vol. V. Lib. XXXIV. pag. 269. [5]) Pedacii Dioscoridis Anazarbei de medicinali materia, editio Ruellii L. V. cap. 121.

§. 2.

Sandaracha [1]) arsenici nomen a veteribus haudquaquam accepit, attamen auripigmento similem et aequabilem istam censuerunt, quamquam, quod jam ad colorem medicamque virtutem attinet, eam deteriorem arbitrati sunt. [2]) Vocatur: arsenicum sulphuratum rubrum, sulphur arsenici rubrum, Sandaracha, Risigallum, Realgar, Zarnik; equidem *nominibus sandarachae nativae* et *factitiae* distinguendis locum relinquendum censeo.

[1]) Σανδαράχη, ruber color. [2]) Celsus l. c., Plinius l. c.

Sectio secunda.

De iis, qui primum innotuisse sibi auripigmentum et sandaracham exhibent.

§. 3.

Qui quidem naturalium scrutatores aut medici has materias primum cognoverint, de hoc ad-

huc dubitandum videtur. Sandaracham Aristoteles, auripigmentum vero Theophrastus Eresius, ejus discipulus, primi novisse dicuntur, teste Thomsone et Klaprothio [1]). Quae opinio verisimillima videretur, quamquam apud Hippocratem, istis antiquiorem, jam occurrunt [2]), nempe in eo libro, qui de ulceribus agit, idem vero spuriis et longe post Hippocratem scriptis a permultis historicis adnumeratur [3]).

1) Locis cit. 2) Hippocratis Opera, editio Piereri T. III. Liber de ulceribus, pag. 143. 3) Vide Praefationem in Hippocr. Librum de ulceribus.

Sectio tertia.

Quae auripigmenti et sandarachae qualitates physicas continet.

§. 4.

Quae arsenici sulphurati forma a natura progenita crebro occurrit, talis quoque veteribus nonnisi cognita fuit. *Auripigmentum*, ideo *fossile*, in regionibus Europae orientalis reperitur. Est illud aureo colore, sulphureum, ex tenuibus crustis, tanquam squamis fissilibus, compositum. In pulverem redactum et flammae admotum, fluit, accenditur, et flammam simul cum fumo albo flavescente emittit, qui cultrum superpositum albo, luteo et subrubro colore obducit, arenosis et lapidosis particulis relictis; fumusque odorem habet foetidi sulphuris.

§. 5.

Sandaracha in Sicilia, Hungaria et Germania effoditur, at raro eam accipimus nativam, plerumque arte paratam, utpote quae potissimum in Misnia et quidem in pago Ehren-Fridrichsdorf e cobalto conficitur. Hac ex minera praeter sandaracham parantur quoque auripigmentum et arsenicum album per sublimationis processum, ex quo plane apparet, sandaracham, hac via genitam, mixtam esse impuramque fieri. Cum diffringitur squamosa, conchiformis et nitida, colore fusco, pulverata colore coccineo pulchro et cum parationis conditione squalore pura reddita fuerit, igni imposita tota in aërem funditur, nullo vestigio relicto, atque densus ex albo-cyaneus fumus exortus, foetidissimum, alliaceum spargit odorem, et laminam ferream superpositam, albo colore obducit. Quodsi sandaracha sit nativa, post ustionem, arenosam massam relinquit, fumusque sulphureus foetet.

Memorati colores odoresque fumi, cum sulphur arsenici igne tractatur, inter nativum et factitium certum offerunt discrimen. — Praesertim quod quidque minerarum cobalti ustione conficiatur factitium, itemque per junctionem arsenici in forma metallica aut oxydata cum sulphure ac hofum sublimationem vel conflationem perhibetur.

§. 6.

Investigationes chemicae cum his ambobus institutae, ut ingrediens sulphuris massa exploraretur, diversissimam praebuerunt resolutionem. Thenard ex auripigmento 75 metalli et 25 sulphuris, e sandaracha 57 metalli et 43 sulphuris partes accepit; Klaprothius contra, ex auripigmento 69 metalli et 31 sulphuris, e sandaracha $61\frac{1}{2}$ metalli et $38\frac{1}{2}$ partes sulphuris.

Via chemica arsenicum sulphuratum facile deprehendi potest: quodsi cum kali colliquefiat, hepar quoddam arsenicale solubile reperitur, cujus ex solutione quodlibet acidum arsenici sulphur praecipitat, quod, ut melius cognosci possit, modo, in antecedentibus exposito, perscrutari debet.

Sectio quarta.

Qua ratione in organismum agunt auripigmentum et sandaracha, nativorum factiorumque indolis ac effectus differentia.

§. 7.

Arsenici sulphurati in organismos animales efficientia, nuperrime accurata perscrutatione digna est habita. Experimenta a Renaultio [1]) instituta pro certo dederunt, nativum, mirandum in modum, fere prorsus esse inefficax, contra factitium esse venenatum, haud secus, quam arsenicum oxydatum. Quae res cum ita se habet, ma-

gni est momenti, praesertim, cum medici hodiernis diebus, hac substantia internis corporis partibus adhibita, haudquaquam abstinuerunt. Qua ex causa omnia, quae ad hunc nostrum finem medici experti sunt, atque litteris mandarunt, hoc loco in unum collecta expromam.

1) Orfila Traité des poisons etc. *In der Uebersetzung von Hermbstaedt B. 1. S. 248.*

§. 8.

At hoc certe constat, medicis antiquis solummodo arsenicum sulphuratum nativum atque in usu notum fuisse. Ejus praeparatio fuit talis, ut chemica mutatio fieri non potuerit: teste Plinio [1]) torrebatur auripigmentum in nova testa donec mutaret colorem, Dioscoridesque [2]) dicit „torretur in testa nova, vivis carbonibus subjectis, assiduoque versatur, donec igne flagret, et mutet colorem; deinde refrigeratum, tritumque reconditur." Veteribus hujus substantiae virulenta indoles plane latuit, quanquam de Celso, Fridericus Hoffmannus, eum auripigmentum in venenorum familiam reduxisse, affirmat [3]), attamen haec Celsi sententia, et ne locus quidem, qui internum auripigmenti usum devorationemque probet, extat. Plinius nusquam de eo, nonnisi Discorides [4]) sandaracham et arsenicum l. auripigmentum dolores intestinorum et alvi cum rosione insigni consequi autumavit.

Fridericus Hoffmannus haud ambigue probat, arsenici sulphur nativum nulla noxa esse stipatum, et quidem his verbis: „auripigmentum et sandaracha omni virulenta et enecante natura carent" [5]), atque in sequentibus inter nativorum et factitiorum effectus discrimen ita docet: „Iam vero auripigmentum omni drastica, purgante et emetica virtute caret, neque animantia necat, iterato experimento in canibus, felibusque facto, quibus usque ad drachmam unam et supra sine ullo subsequente damno id obtulimus. Arsenicum vero, sive album, sive flavum et rubrum, summum est venenum, et omnis generis animantia jam parva dosi assumptum brevi necat. Proinde jam dictis satis perspicue appareat, auripigmentum (nativum) cum arsenico citrino (factitio) neutiquam esse confundendum et pro veneno venditandum" [6]). Hoffmanni experimenta, illa Renaultii nulla privant fide, quem si sequeris, canes, quibus drachmae duae arsenici sulphurati nativi dabantur, ne doloribus quidem vexati sunt [7]).

1) Plinius l. c. 2) Dioscorides l. c. L. V. cap. 112. 3) Friderici Hoffmanni opera omnia, Genevae 1740. Tom. I. Pars. II. cap. III. §. 13. 4) Dioscorides L. VI. de venenis, quinque libris de medicinali materia adjectum, cap. 29. 5) Hoffmannus l. c. 6) ibidem §. 14. 7) Orfila l. c. S. 249.

§. 9.

Cui inefficacitati sulphuris arsenici nativi. fa-

ctitii virulentia non respondet. Hoffmanni opinionem supra (§. 8.) jam allegavi, Gmelinusque [1]) plurima enarrat exempla, e quibus elucet, Boneto et Alberti testibus, ejusdem paene fuisse truculentissimae vis, quam in arsenico albo, qua re plurimi medici arsenici sulphur venenis adjungere vellent. Renaultius parvo cani quatuor grana auripigmenti factitii dedit, qui, breve post tempus, magna vi per alvum dejiciebat. Vomuit ille, ululavit et quinque post horas e vita decessit. Sectio instituta stomachi tunicam, et infimam tractus intestinorum partem inflammatas ante oculos posuit. Cani paullo majori, tria grana dabat, vomitiones, dejectiones, et trepidationes excruciabant animal, et novem post horas ululans inquietumque periit Stomachus quoque hujus, duodenum et intestina crassa, maculis rubris inflammatis sparsa, reperiebantur. Sandáracha factitia, quam animalibus devorandam obtulit, similem effectum habuit, nonnulla jam grana brevi tempore necabant [2]), et Swietenius enarrat exemplum, sandaracham in cibo assumptam, mulieri cuidam paucis horis attulisse mortem [3]).

1) Gmelin Apparatus medicaminum T. I. p. 268. sq., ejusdem *Geschichte der thierischen und mineralischen Gifte. S.* 249. *u. f.* 2) Orfila l. c. S. 248. *u. f.* 3) Cranz materia medica et chirurgica. Tom. III. pag. 23.

§. 10.

Ita arsenici sulphuris factitii magna vis virulenta verum nativi innoxia natura sunt probatae. Hujus phaenomeni quae sit causa aut ratio, de hoc hucusque nemo cogitavit, nemo argumentavit. Hoffmannus ne audet quidem causam efficientem pronunciare. Orfila, iste fertilis scrutator chemicus, operam ac assiduitatem rei explorandae frustra impendisse fatetur et ita, ut quidquam certi non extricaverit. Saltim id eum opera adhibita docuit, metallum, quod arsenicum sulphuratum continet, cum in nativo omni carere oxygene, tum in fictitio [1]), utpote quod jam Klaprothius [2]) antea expromserat. Ista sententia, quae sulphuris ingredientem partem diversam, quae diversa junctio negari non potest, effectus diversi efficere causam acceperit, omnino refutari debet. Ad id unum sane in re consideranda respiciendum est, quod ad discrepantem virtutem arsenicorum sulphuratorum explicandam omnium maxime pertinet, nempe ad odorem illum alliaceum foetidum, de quo supra (§. 5.) jam diximus. Hoffmannus [3]) jam illum odorem durante ustione sensit magnumque ei attribuit momentum ad accuratum inter nativum et factitium discrimen definiendum. An iste odor fumi in factitio sulphuris e mixtione cum arsenico intimiori enatus sit, quae nimium est subtilis, quam

quae perspiciatur? de hac re haud prius judicandum in proposito habeo, quam singula, quae ad rem uberius illustrandam, spectant, aggressi sumus.

1) Orfila l. c. S. 250. 2) *Hecker's Annalen* l. c S. 157. 3) Hoffmannus l. c. §. 14

§. 11.

Omnium temporum medici arsenicum sulphuratum interne aeque ac extrinsecus adhibuerunt, ut diversissimis morbis hominum mederentur. Hanc qui materiem interne adplicuerant, specificam ei, atque metasyncrisin moventem, virtutem adscribere videntur. Qua de re Gmelinus magnopere dubitat, bonum adhibitionis eventum plerumque connuptionibus, inprimis cum medicaminibus e mercurio, impertiendum, nullibique solum et meracum fuisse exhibitum arsenici sulphur, perhibens; tamen immerito hanc posuit sententiam atque in sequentibus monstrabo, sine cum aliis efficacibus remediis connubio salubre auripigmentum sese praestitisse. Externe adplicatum caustico et septico modo exedit, purgat, cutim reddit laeviorem, et in cancro, arsenici albi instar, verisimillime specificum est. Tamen huic loco adnectendum est, auripigmentum saepius quam sandaracham a medicis in usum esse vocatum, e supra (§. 6.) jam memorata conditione

ne massae sulphuris, quo scatet, esse fortiorem et praestabiliorem elucet.

1) Gmelin Apparatus medic. Vol. I. pag. 275.

Sectio quinta.

De auripigmenti et sandarachae usu medico desserit.

§. 12.

Cancer. Possidemus quidem arsenicum album, celebratum efficaxque remedium in hoc malo pertinacissimo, verum quin etiam modo extrinsecus adhibitum fuerit, venenatio crebro inde exorta, quae propter solubilitatem et resorptionem arsenici albi omnino fieri potest, insolvibili auripigmento invincibilem praebeat principatum. Caeterum celerius arsenico albo debellatur cancer, verumetiam magis praecipitem reddimus aegrum; auripigmenti contra cancrum virtutem prospera experientia medicorum nec minus confirmat. Iam Timaeus auripigmenti in cancro usum ita praecipit, ut pulveratum siccum aut melle mistum alligetur [1]). Celsus compositionem ex auripigmento, sandaracha, squamis aeris et marmore docet, qua cancrum coërceri pollicetur [2]). Aliud mistum, a Graecis ἀνθήρας vocatum, e myrrha, sandaracha ac alumine aequalibus partibus in cancro, si vitium in summa parte haeret, humido cancro aridum, sicciori vero cum exigua parte

mellis junctum superimponi jubet [3]). Quodsi ulcus cancrosum oris penitius descendit, neque tamen auripigmenti usu abstinet, at apta praecautione, ne vicinae partes laedantur [4]). Si vero cancer labra occupaverit, eum omnino excidi imperat [5]). Contra colis cancrum auripigmentum cum calce et chalcite mixtum idem valere asserit, et cum id nihil praestiterit tum ad cultrum refugit [6]). Cancrum, qui post calculi caussa incisam vesicam ortus est, purgandum cohibendumque pulverem, auripigmentum continentem, per scriptorium calamum adspirare proponit [7]). Arcanum istud celebre, quod Kortholdio adscribitur, et auripigmenti cum duplici massa mercurii sublimati corrosivi distillatione conficitur, oleum vocatum, butyrique arsenicalis instar, cum quolibet decocto vulnerario temperatum contra cancrum a Kuppermanno commendatur [8]). In cancro remedium comitis Arundelii, de quo apud Bellium [9] fusius agitur, auripigmenti efficacitate nititur. Huc enim pertinent mistiones istae intimae arsenici albi cum sulphure, uti in formula contra cancrum Plunketii, quam, quia hucusque dignitas sua fere neglecta est, ac ejusdem usum cum Macbridii verbis hic addam. „Compositio illa, quam in Hibernia familia Plunketiana, et in Anglia quidam, quibus ea a Plunketiis vendita est, in arcanis servant, ex his re-

bus, quas in nota subjecta proponimus, constare creditur. Acerrime exedit, doloresque excitat; sed ante caetera excellit, quod vim suam a lateribus non extendit: Foliorum ranunculi flammei pugilli duo, foliorum cotulae foetidae pugillus, arsenici albi drachmae duae, florum sulphuris drachma, conteruntur, resperguntur que ovi albumine. Ubi compositio cerati crassitudinem habet, linteo illinitur, et hoc modo parti exedendae imponitur. Haeret ibi viginti quatuor, vel quadraginta octo horas. Crusta, instar aliarum, medicamentis emollientibus et pus moventibus curatur" [10]. Roennowius, medicus Danus, ulceri cancroso puras imposuit auripigmenti lamellas, atque labrorum pariter mammarum [11] prospero effectu id sanavit. Verum adplicatio haec valde dolorosa est aestimanda, atque ne commendanda quidem.

1) Celsus L. V. C. XX. 7. 2) ibid. 6. 3) ibid. Lib. VI c. XI. c. XV. Simile medicamentum vide apud Marcellum de medicam. empiricis Cap. XI. pag. 292. Plinium Siburium de Re medica L. I. c. 31. 4) ibid. c. XV. 5) ibid. 6) ibid. Lib. VI. c. XVIII. 3. 7) ibid Lib VII. c. XXVII. 8) Gmelin Apparatus medic. pag. 272. 9) Bell's *Lehrbegriff der Wundarzneikunst. B. 7. S.* 678. 10) Dav. Macbride Introductio methodica in theoriam et praxin medicinae, ex lingua anglica in latinam vertit Clossius. Basileae 1783. Tom. II. 11) Rönnow *vom glücklichen Gebrauch des Arseniks äußerlich, in den Schwedischen Abhandlungen, Jahr* 1778.

§. 13.

Si medici usurpare vellent arsenici sulphur, mihi persuasum habeo, cum auripigmentum, Cosmici remedii more, pulveratum, merum vel oleo madefactum parti cancrosae exedendae illinerent et, postquam crusta per suppurationem soluta fuerit, ulcus purgatum unguento exsiccante et balsamico deligarent, ex his frugem esse percipiendam.

§. 14.

Ulcera maligna, ut adducatur bona suppuratio. Jam in Hippocrate arsenico sulphurato hunc ad finem utitur. „Caricum [1]) medicamentum illinito et adalligato. Ex his autem conficitur medicamentum, veratro nigro, sandaracha, aeris squama, plumbo eloto, cum multo sulphure, auripigmento, cantharidibus. His, prout videbitur, compositis utitor, cedria dilutis. Postquam vero abunde illitum fuerit, medicamentum submoveto, aere cocto levigato insperso, aut contrito arido, melle subacto. Quod si carico sicco opus sit, his remotis medicamentum inspergendum. Facit quoque siccum ex veratro solo et sandaracha." [2]) Supra jam positam antheram, siccam aut cum exigua parte mellis mixtam in oris nihilominus tonsillarum ulceribus, si haec crustis quasi ab adustione ortis sunt superinducta Celsus [3]) suadet. In linguae ulceribus ac si in exulceratione gingivarum hae a dentibus recedant, eamdem usui proponit compositionem. [4]) Cum

digitorum apices ulceribus infestati sint, ita, ut ungues ab iis recedant scabrique sint, auripigmentum, sandaracham, sulphure, nitro et terebinthina misci et unguibus imponi, tertioque die resolvi imperat, ita, ut vitiosi ungues cadant et suppuratione peracta in eorum locum meliores renascantur. [5]) Plinius auripigmentum pterygia digitorum tollere, [6]) aeque Dioscorides sandaracham narium orisque ulceribus prodesse, simulque ad scabros ungues eximendos recte adhiberi [7]) asserunt. Cum alumine et nitro atque aquis destillatis permixtum auripigmentum, in pedum ulceribus varicosis aeque ac in ulceribus oris et gingivarum fausto cum successu a Platero adplicatum multoties,[8]) ac arcanum Kortholdii in ulceribus sordidis salubre fuisse [9]) Gmelinus testatur. In ozoena et narium ulcere pertinacissimo Rondelet suffimenta, auripigmentum recipientia, valde commendavit. [10]) Plenkius rhagades manuum et pedum, auripigmento cum unguento digestivo mixto, quae nec ullo quidem remedio cesserint, feliciter sanavit. [11])

1) Καρικον, medic. ulcera purgans. 2) Hippocrates l. c. 3) Celsus L. VI. c. XI. 4) ibid. c. XII. c. XIII. 5) ibid. c. XIX. 6) Plinius l. c. 7) Dioscorides L. V. c. 115. 8) Gmelin Apparatus medic. pag. 272. 9) ibid. pag. 273. 10) ibid. 11) Plenk Toxicologie.

§. 15.

Excrescentiae parasiticae. Hisce, cauterisatione removendis, arsenici sulphure nonnisi a ve-

teribus utebatur. Dionysius in nodis haemorrhoidalibus, si emollientia leniterque adstringentia remedia nihil sibi praestiterint, ad eos removendos sandaracham usurpabat, et cum haec non proficua, capitulaque haemorrhoidalia vetustiora fuerint, pulverem ex auripigmento, squamis aeris et calce viva superinstravit, postero die acu compunxit. Adustis capitulis oritur eschara, quae sanguinis profusionem prohibet. [1]) Hanc enim methodum in ani aut vulvae fungo sequitur Celsus. [2]) Utque carnem luxuriantem submoveret, auripigmentum, sandaracham, calcem vivam papyrumque combustam miscebat et superinstravit Bithynus Jolas [3]). Ad fistularum calli, verrucarum et myrmeciarum erosionem, mistum e sandaracha, alumine, gallis, melleque usui proposuit Celsus. [4]) In polypo nasi quidem praefert operationem, eum vero exarescere spondet, cum sandaracha, minio, chalcite et calce in pulverem redacta, penicillo adhibito imposita sit. [5]) Tollere auripigmentum carnes narium, condylomata et quaeque excrescunt Plinius [6]) et Dioscorides [7]) asserunt.

[1]) Celsus L. VI. c. XVIII. 9. [2]) ibid. 11. [3]) ibidem Lib. V. c. XXII. 5. [4]) ibid. c. XXVIII. 12. [5]) Lib. VI. c. IX. 2. [6]) Plinius l. c. [7]) Dioscorides l. c.

§. 16.

Quibus exceptis alias arsenici sulphurati in usum medicum externum conciliationes haudqua-

quam omittam, quibus nostris temporibus supersedere nos oportet. Amuletorum ad muniendos contra pestis contagium homines collaudatorum crebro constituit partem. Dioscoridis jam temporibus facultate pilos evellendi celebre,[1]) adhucdum partem unguenti constituere dicitur, quo jam hodie Turcae ad eundem finem utuntur.[2]) Chrysippus, insignis sectator scholae Cnidiae,[3]) malagma e sandaracha, resina, pipere et cera conficiendum, in artuum doloribus auxiliare, praescripsit,[4]) Turquet de Mayerne auripigmentum cum mercurio praecipitato mistum et cum aqua in pastam subactum, membris arthritide vexatis adplicandum proponit,[5]) de tuberculis sandaracha discutiendis Dioscorides dicit.[6]) In sanguinis profluvio quoque, eo excepto, quod e cerebri integumentis largitur, pulverem e sandaracha, squamis aeris et marmore inspergendum suadet Celsus.[8]) Pediculis, qui superciliis insident, enecandis Celsus,[9]) in phthiriasi Dioscorides[10]) ex aceto efficacem collaudant sandaracham. In variis oculorum vitiis Galenus utebatur proteo, sive collyrio, quod magnam efficaciae suae partem auripigmento debet[11]), et jam Plinius reliquit, sua aetate sandaracham oculorum medicamentis adjunctam esse.[12]) Unguento, auripigmentum recipiente, aegros, morbis cutaneis laborantes, inungere proposuerunt Dioscorides[13]) et Galenus.[14]) Cereolos, absumendis

urethrae carunculis destinatos, induci commendarunt Sennertus et Borellus. [15])

[1]) Dioscorides L. V c. 113. [2]) Gmelin Apparat. medic. T. 1. pag. 272. [3]) Ackermann Institutiones Historiae medicinae. Period. II. §. 80. Period. III. §. 145. [4]) Celsus L. V. c. XVIII. 30. [5]) Gmelin l. c. [6]) Dioscorides l. c. [8]) Celsus Lib. V. c. XX. 6. [9]) ibid. L. VI. c. VI. 15. [10]) Dioscorides l. c. [11]) Claud. Galenus de compositione medicamentorum L. V. c. 7. [12]) Plinius l. c. [13]) Dioscorides l. c. [14]) Galenus l. c. c. 2. [15]) Gmelin l. c.

§. 17.

Sulphuris arsenici usus in morbis internis tam diu valuit atque frequens fuit. Veteres, qui periculum, quod ex ejus usu immineret, nequaquam curabant, id adhibuisse, propter parvam aut ex toto deficientem vim venenatam nativi excusamus. Recentiores internum usum commendantes illud grave discrimen inter nativum et fictitium, haud respicere videntur, ubique vero purificatum, ideoque fictitium, in parvis dosibus prospero successu opitulabantur. Quam methodum sulphur arsenici vetustam exhibendi attingere mihi liceat, nam fusius de recentiore magis venditabili disserere e nostra materia est.

§. 18.

Vocem expedire sandaracham cum melle delinctam Dioscorides, [1]) suspiriosis, tussientibus in cibo sumptam jucunde mederi Plinius, [2]) et ipsis purulenta extussientibus, cum mulso, bono cum successu praeberi Dioscorides, [3]) affir-

mant. Sandarachae cum resina aut cedrae temperatae fumum, quod nequaquam sine periculo auderes, inhalandum suaserunt inveterata tussi laborantibus Plinius [4]) et Dioscorides. [5]) Internum pariter auripigmenti, cum vino sorpti, usum in dysenteria atque intestinorum ulceribus praedicavit Galenus. [6]) Medicis permultis serioribus in pectoris affectibus, imo etiam suppurationis pulmonum complicatione, suffitum, in arthriticis et venereis morbis, in cancro scirrhoque praesertim testiculorum, in impetiginibus et febribus intermittentibus, verum semper aliis cum praestantissimis remediis junctum auripigmentum frugi fuisse Gmelinus testatur. [7]) Seculi praeteriti initio medicus quidam romanus e sandaracha febrifugum efficacissimum tam mitis naturae, ut ne nauseam quidem excitaret, parasse fertur. [8]) Nunc enim Sinenses apparatus medicaminum sonticam possident materiem, quam Tinn-fsui vocant, praesertim e sandaracha conflatam, forma e rubro-subnigrorum nitidorumque, pollicis crassitudine et longitudine bacillorum, quibus utuntur pro panacea in diversissimis internis morbis ac aegritudinibus. [9]) Funduli rubri Siamensium, quos haec gens omnibus fere morbis medendis, acidis implet liquoribus, qui cum per aliquot horas in iisdem remanserint opitulantur, Hombergi scrutinio probante, e sandaracha sunt conflati. [10]). De massis, pilulis, morsulis et rotulis, e

sandaracha cum aromatibus compositis, e Sina in mercaturam provenientibus, a Russis, Graecis et Armeniis uti prophylacticum et panacea auxiliatis Heckerus memoriae prodidit: massas tales theae admiscunt aut aliquam partem descindunt ac solutionem imbibunt.

1) Dioscorides l. c. 2) Plinius l. c. 3) Dioscorides l. c. 4) Plinius l. c. 5) Dioscorides l. c. 6) Galenus l. c. l. 9. 7) Gmelin l. c. 8) Klaproth in Heckers Annalen B. I. S. 159. 9) ibid. 10) ibid. 11) ibid. S. 171.

§. 19.

Febris intermittens. Si haec pertinax ac rebellis fuit, connubia arsenici cum alkali, ut fieret medium sal, nuperis temporibus sese praestiterunt efficacissima, ita, ut hodieque medicorum audacia chinae loco ista propinare nullomodo abhorreat. Equidem a medico, quem magna experientia jam docuit, accepi, cum arsenici albi cum alkali vegetabili solutione, more tincturae Fowleri, in grassante febri intermittente, ad maris baltici littus, ducentum aegros sine subsequente noxa sanasse. Mihi ipsi quondam duorum aegrorum arsenico albo sanationem videndi occasio se obtulit, quorum alter intermittente tertiana febri laborans jam inde a vere usque ad hyemem lecto affixus erat. Durante impetu algor fuit vehemens, virium prostratio augebatur, aegrumque magna abdominis expansio ac spiritus suspiriosus invaserant. Hucusque varia vicissim remedia, praesertim chi-

nae pulvis atque decoctum erant porrecta, nunc propinabatur arsenicum album sine vero auxilio, ita ut, quod nausea, cardialgia magnaque pectoris oppressio sequebantur, rejici censum sit. Alteri aegrotantium, quotidiana prostrato, primis quatuor diebus china propinabatur, tunc per duas hebdomadas citra auxilium arsenicum; de seriori illius statu mentionem facere nequeo, quia postea ille e curatione egrederetur. Arsenicum adductis in casibus nocuisse, qua de re nonnulli merito contendunt, dijudicare non audeo. Nocivi, lethales imo effectus arsenici albi usu, breviori longioreve temporis spatio interjecto, provocandi, celeberrimum Klaprothium eo adduxerunt, ut, quomodo potenti sane arsenico miti forma remedio uteremus, illustraret. Eum dicit finem jam eo attactum crediderint, ut albo arsenico kali nuberent, opinantes, neutralisatione mitius illud reddi; conjunctionem attamen esse haud arctam, ita, ut facillime discidium patiatur, arsenicique oxydum purum evolvatur. [5]) Tutius arsenico, forma sulphuris arsenici, usurum, in quo metallum, oxygenis expers, sulphure amelioraretur. Perhibet ille, pro nativo factitium adhibendum esse, ex aequalibus partibus albi arsenici et sulphuris liquatione paratum. [2]) Heckerus proposito modo artificiale obtulit arsenicum sulphuratum, ex rubro fuscum, quod persaepe cum tam bono celerique effectu propinavit, ut praestantissimum specificum

que febris auxilium laudaverit. Sequenti forma in apyrexiae quavis hora jussit Arsenici sulphurati gr. semis, Sacchari albi ʒ semis, Olei Anisi gutt. un. m. f. pulvis, detur. Febrem recens natam posteris conditionibus duodecim doses statim et sine ullo infelici effectu fugarunt. Ubi autem febris per menses duraverat, irregulari chinae aliorumque remediorum usu persaepe regressa, bis terve pulveres reiterarentur necesse erat. In nonnullis aegrotantibus, febre per longum tempus protracta et hydrope jam inchoante, dosis ad ter quartum imo totum granum per horam augenda erat, ut impetus supprimerentur. Remedii assumptionem, quamquam statim levis ventriculi ustio cum vomituritionibus excipiebat, remota tamen febre et usu arsenici sulphurati, normalis redibat digestio magnaque ciborum appetentia. In chronicis etiam morbis, quando remedium in parvis dosibus magnisque intercapedinibus propinari potest, propter cutis incitationem in impetiginibus laudat, cancro, rheumatismo, arthritide, et syphilide formam duorum praecedentium morborum adepta. 3) — An ne, si quis vestigia Anglorum medicorum premeret, experientiarum de albi arsenici usu in similibus affectibus divitissimos, sulphurato uti praestaret?

1) Orfila T. I. pag. 218. arsenici cum alkalinis conjunctiones vehementissima renunciat venena. 2) Klaproth l. c. pag. 154. 3) Hecker, *Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. Erfurt* 1815. *B.* 4. *S.* 865.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Joannes, Carolus, Fridericus Prey, Gryphibergae Pomeraniae oppido ortus, viginti tres annos natus sum. Cura parentum optimorum, qui adhuc in vivis sunt, primis litterarum rudimentis imbutus, anno ineunte millesimo octingentesimo duodecimo scholam salutarem, Institutum Guilelmo-Fridericianum adii, atque ibidem per triennium utriusque Medicinae disciplinis impendi operam.

Virorum Perillustrium atque Celeberrimorum praelectionibus interfui. Knapius atque Rudolphius omnibus me instruxerunt scientiis, quae ad Anatomiam pertinent, quorum hunc quoque in Encyclopaedia et Methodologia medica ducem habui. Botanicen Willdenowius, Zoologiam Lichtenstenius, Physicen, Chemiam et Pharmaciam Hermbstadius et Turteus, Ethicen, Logicen atque Mathesin Kiesewetterus me docuerunt. Physiologiae operam dedi, Rudolphio et a Koenen ducibus. Ad Pathologiam generalem atque Semioticen

animum adplicui, verbis praeeunte Fr. Hufelandio, Materiae medicae incubui sub auctoritate a Koenen. Deinde interfui praelectionibus Hornii de Pathologia speciali, Guilelmi Hufelandii de Therapia nervosium, Fr. Hufelandii de Therapia universali; Graefeus, Mursinna et Klugeus ad Universae Chirurgiae Obstetriciaeque artis studium me adduxerunt. Primum incrementum cepi in morborum Infantum pathologia atque therapia sub Richtero, in Forensis medicinae fundamentis sub Knapeo. Clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum, antistite Graefeo frequentavi, ac per unum semestre in charitatis nosocomio chirurgi munere functus sum.

Anno MDCCCXV cum bellum contra Gallos exortum esset, contigit mihi, qui tum militaris medici munere fungebar, ut Lutetiis Parisiorum per sex menses versarer, ibique institutorum medicorum accuratam cognitionem imbiberem. — In patriam redux, medico-chirurgus, in legione Alexandri Russorum, tum in prima legione praetoriana Regis Augustissimi nostri stipendia merui.

Paullo post cum Tentamen et Examen Rigorosum coram gratioso medicorum ordine berolinensi feliciter sustinuissem, dissertatione defensa nunc ad omnes medicinae et chirurgiae honores evehi confido.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In veneficio, si intestinorum tractui insideat virus, nil nisi ejusdem remotio molienda.

II.

Cordis organica vitia vivo aegro certitudine internosci nequeunt.

III.

Ani fistulis non medearis.

IV.

Verendorum mulierum fluxibus, nisi in mora periculum, injectiones prorsus arcendae.